



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 236. Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. v. 52.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

fregisse portas mortis & inferni, sicut fregisset claustra monumentorū vt & monumenta fortentia cordium peccatorum aperiantur, & cum Christo resurgere se disponant & viuant cum eo in æternum. Christus siquidem monumenta voluit prius aperiri, postmodum vt resurgerent corpora mortuorum. Prius enim mortificari debet in nobis regnans peccatum, ut possit subintrare iustitia sicuti & ipse primò mortuus est, & resurrexit tertia die. mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit, propter iustificationē nostram. hoc est, per mortem soluit debitum nostrum & vt commemoramur effectus: per resurrectionem vero suam deduxit nos ad fructificationem per sanctam vitam ex ipsius vita Sacramentis tanquam canalibus deductam.

O Bone Deus, utinam etiam monumentum meum in die iudicij aperiat, ad exeundum in Sanctam ciuitatem Dei, Ierusalem supernam. Vt autem hoc fiat olim aperi Domine nunc & frange seras cordis mei, vt tibi pateat omni momento, fiat tibi monumentum semper nouum & mundum, vt in eo morari sit tibi delicia: inde odor fragrans vnguenti Spicati pistici exspiret: inde exilient cogitationes malæ, cōsurgant autem & floreat ibi omnis generis virtutum flores & fructus boni operis: vt tu bone Iesu in me, & ego in te maneam, crescam & viuam. Amen.

§. 136. *Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. v. 52.*

Causa, cur monumenta aperta sint fuit, vt inde multa corpora sanctorum, quorum animæ detinebantur captiue in inferioribus terræ partibus, limbo scilicet, exsoluto iam lytro per mortem Christi, redirent ad sua corpora & resurgerent ad annuntiandum Iudæis potissimum peccatum suum, Christi veri Dei & Messie veritatem & mortem, & resurrectionem, vt sicut ipsi potentia istius veri Dei & Messie surrexerint à mortuis, ita propria sua virtute ipse resurrexisset, vt sic ultra nec apud Iudæos nec Ethnicos vlla dubitatio de veri Dei & Messie aduentu morte, & resurrectione relinqueretur.

Scio Domine & firmiter teneo me resurrecturum, ut isti, cum corpore hoc, ad reddendam rationem, pro vt gessi siue bonum siue malum; da igitur gratiam, vt in corpore sancto resurgam sicut hi sancti, quos è limbo misisti recipere corpora sua, vt tuæ personæ veritatem, mortem & resurrectionem annuntiarent.

§. 137. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius. v. 53.*

Monumenta aperta sunt eo tempore quo Christi corpus pendeat adhuc in cruce in terrorem & signum maximi portenti futuri, vt in se redederent Iudæi & penitentiam agerent, & crederent Christum verum Dei filium esse mortuum, & resurrecturum. Sed nec prius corpora Sanctorum